Moritz Ferdinand

Karwan
Costa

Lo41.15

DE

LUCIO AELIO STILONE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

FERDINANDUS MENTZ

IENENSIS

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXXVIII

Praefatio.

Cum de scriptoribus Romanorum eis quorum libri nobis seruati sunt, iam a renascentium litterarum aetate permulta optime scripta sint et disputata, hoc demum saeculo, quantum mihi quidem innotuit, eis quoque, quorum ex libris praeter fragmenta quaedam dispersa ac dissipata apud alios scriptores nihil ad hanc usque aetatem remansit, enixius operam nauare uiri docti coeperunt. Inter quos scriptores non infimum tenet locum L. Aelius Stilo Praeconinus, de quo diu quid censendum esset uiri docti dubitabant, donec anno huius saeculi undequadragesimo nitidissima illa atque accuratissima prodiit disquisitio, quam I. A. C. van Heusde, philologus Batauus, 'de L. Aelio Stilone, Ciceronis in rhetoricis magistro, rhetoricorum ad Herennium auctore' conscripsit.[1]) Quem libellum cum ego, cui studia grammatica et Graecorum et Romanorum semper cordi erant, perlegerem, multa in eo inesse mihi uidebantur, quae etsi diligentissime conquisita et ingeniosissime excogitata essent, tamen huic aetati, in litteris certe aliquanto prouectiori, non iam satisfacerent. Nam ut omittam Heusdii opinionem de Stilone Rhetoricorum ad Herennium auctore, quam nunc ne refelli quidem opus est, alia quoque, quae ille exposuit, recentiorum philologorum scriptis, imprimis Ritschelii, Hertzii (qui de scriptoribus illis ut ita dicam minoribus optime meruit), L. Muelleri, Mercklinii, si non refutata, tamen aliqua ex parte commutata et correcta sunt. Quam ob rem non inutile mihi uisum est totam illam de Aelio Stilone quaestionem denuo tractare, atque etiamsi ipse multa noua enucleare non possem, tamen quaecunque post Heusdium a uiris doctis de illo grammatico dicta essent uel scripta, in unum congererem.

1) Praeter Heusdium Stilonis fragmenta collegit A. E. Egger, in Lat. serm. uet. rell. (Parisiis 1843) p. 2—13, sed sine magno fructu; qui liber suo loco respicietur.

Caput I.

De L. Aelii nominibus et uita.

Atque ut primum de nomine eius disseramus, de praenomine non multa uidentur dicenda esse. Recte enim Lucium eius fuisse praenomen Heusdius concludit e loco Varronis de ling. Lat. VIII 81: '*Quod si Marcus Perpenna uirile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mucia uirilia nomina esse debebunt.*' Quocum consentiunt loci illi ueterum scriptorum, ubi aut *L. Aelius Stilo* aut frequenti librariorum uitio *Laelius Stilo* nominatur. Cf. testimonia infra proposita.

De nomine eius gentili nihil dicendum est: neque enim quomodo cum ceteris Aeliis coniunctus fuerit enucleare possumus neque talis quaestio in nomine tractando diiudicanda est.

Cognomina eius erant *Praeconinus* et *Stilo* (Suet. de gramm. 3 = test. 2). Praeconinus testibus Suetonio (l. c.) et Plinio (H. N. XXXIII 29 = test. 3) ab eo dicebatur, quod pater eius praeconium fecerat, rariore quodam nominandi genere: nam cum alias patronymica a patris uel matris nomine gentili uel cognomine deriuari solerent, ut *Messalinus*, *Marcellinus*, hoc Aelii cognomen a patris officio repetitum uidetur. Quod sic mihi uidetur posse explicari, ut iam patrem Stilonis propter officium suum *Praeconinum* appellatum sumamus, quod cognomen deinde, ut multa alia cognomina, ad filium transierit. Quod uero hoc cognomen patris fuisse nusquam traditur, non magni momenti est: nam patris nomen omnino nobis latet. Similiter *Augurinos* appellatos esse et eos plebeios, qui post legem Ogulniam primi augures facti sunt et eorum prognatos Mommsenus (Quaest. Rom. I p. 65 et 66) docet.[1]) — Pro *Praeconinus* plurimi Suetonii codices habent '*Praeconius*', quam formam unice ueram esse Osannus in editione Suetonii (p. 36) affirmat, nisus inscriptione quadam, quae exstat in Muratorii thesauro ueterum inscriptionum (III p. 1241, 7) atque talis est:

Sex. Artorio Sex. f. patri || *Praeconniae C. f.* || *Posillae matri.* || *Sex. Artorio Sex. f. fratri.* || *L. Artorio Sex. f. fratri* || *Artoria Sex. f. Secunda* || *fecit.*

In qua inscriptione cum legatur '*praeonniae*' [sic!] eam ob causam Osannus uult scribere '*Praeconius*'. Sed quicunque Muratorii thesaurum inspiciet (in Corpore enim I. L. Berolinensi haec inscriptio

1) Ceterum Momms. cum in adn. ad hunc locum 109 scriberet: 'Es ist merkwürdig, dass derartige Beinamen nur von der Censur oder von den höchsten Priesterthümern (Augur, Augurinus, Curio) entnommen werden,' certe Stilonis Praeconini oblitus erat.

nondum exstat), uidebit Muratorium legisse '*praeconniae*': unde tota cadit Osanni sententia. Quid enim uerisimilius quam operarii uitio '*praeconniae*' insculptum esse pro '*praeconinae*'? — Sed sunt etiam aliae causae cur nouissimos Suetonii editores rectissime Beroaldum secutos '*Praeconinus*' restituisse putem. Primum enim omnia uel certe plurima nomina patronymica in '*inus*' exeunt, nullum in '*ius*' (cf. Ellendt, de cogn. et agn. Romano p. 72 sqq., Mommsen, Quaest. Rom. p. 45, qui omnino cognomina negat exstitisse quae in '*ius*' exeant). Deinde, ut Rothius (ed. Suet. p. LXVII) recte adnotauit, apud Plinium duobus locis H. N. XXXIII 29 et XXXVII 9 (test. 3 et 7) legimus '*Stilonis Praeconini*' neque illis locis de lectione dubitari potest, et apud Caesarem (de bell. Gall. III 20) legatus quidam commemoratur nomine *Lucius Valerius Praeconinus*, quo loco non minus quam in Plinianis optimi codices in '*Praeconinus*' consentiunt. Itaque de hoc cognomine dubitari minime potest. — Idem Osannus quaerit, quomodo factum sit, ut a praeconis officio, quod in honestissimis olim non sit habitum, Aelius appellatum se non dedignatus sit. Sed haec quaestio, de qua Osannus l. l. nonnulla prorsus peruerse[1]) disputauit, facillime sic explicatur, ut dicamus praecones, etsi munere fungebantur minus honesto (Cic. pro Quinct. 31, 95), tamen, siquidem urbani erant homines, a nemine urbano repudiatos esse. Cf. Cic. Brut. 46, 172. 43, 160. de orat. II 60, 244. 70, 281. Itaque Aelium nominis a patre accepti puduisse non credendum est, neque, si eum puduisset, quidquam eo effecisset: recte enim Mommsenus (Quaest. Rom. I p. 43 et 44) dicit multa fuisse cognomina, quibus is, qui eis esset praeditus, minime gauderet. Tamen hac quaestione etiam certiora fiunt, quae antea dixi de patre Stilonis iam hoc cognomine ornato. Quod si gessit, certe honoris causa acceperat, unde tota Osanni quaestio dilabitur. — Alterum igitur Aelii cognomen, Stilo, inde natum erat '*quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat*' (Suet. l. l.). Quam ob causam Ellendtius in dissertationis quam supra laudaui p. 48 hoc nomen refert inter cognomina historica. Et hominibus nobilibus orationes eum scripsisse Cicero quoque testis est (Brut. 56, 205 et 206 = test. 11). De quibus orationibus infra disseremus.

Gentem Aeliam illustrem fuisse, sed plebeiam, inter omnes notum est; tamen quomodo noster cum ceteris Aeliis ut Tuberonibus, Paetis, Catis, aliis cohaereat, non iam explorari posse supra diximus.

1) Ne temere me putes indicauisse, quaeras in Cic. orat. pro Quinct. cap. 3, quae Osannus ibi exstare dicit de lege Iulia Municipali. Praeterea Stilo Osanno aequalis uidebatur esse C. Iulii Caesaris.

Quae quoniam de nomine eius atque gente exposuimus, nunc ad uitam transeamus describendam, qua in re ab Heusdio aliquantulum nos dissentire patebit. — L. Aelium Stilonem equitem fuisse Romanum et optimatibus fauisse docent uerba Suetonii (l. c. = test. 5) et Ciceronis (Brut. 205 = test. 6), ex quibus Suetonii uerbis etiam illud apparet eum uxorem habuisse et filiam genuisse, quae Seruio Claudio grammatico nupsit, qui tamen soceri librum ineditum intercipiens malum se praebuit generum. — Natum Stilonem esse Lanuuii apparet ex additamento *Lanuuinus*, et eodem in municipio pater eius praeco uidetur fuisse.

De aetate eius iam inde a Maduigio et Heusdio homines docti plurimum inter se dissenserunt. Et Maduigius quidem opusculorum academicorum uoluminis prioris p. 105 contendit eum aetate paulo inferiorem fuisse Accio poetae; quam tamen sententiam argumentis idoneis non confirmat. Accius autem natus est a. u. 584. — Heusdius ipse sequitur Nautam, quem in Commentario de Coelio Antipatro (Ann. Lugd. Bat. 1820—21) qui libellus mihi non praesto erat, L. Aelium a. u. 620 (a. Chr. n. 134) natum putare dicit. Heusdio (p. 35) teste Nauta sic fere disputat: L. Aelius Stilo, cum Cottae orationem illam scriberet, quae pro se lege Varia inscribitur (a. u. 664), cumque alias 'quibus scriptis Cicero ipse interfuit (Brut. 207) adolescens' (i. e. 21 ferme annos natus [a. u. 668 uel 669]) componeret orationes, quinquaginta annis maior esse non potuit[1]), quam ob rem non ante a. u. 620 natus est. Neque tamen multo post natus uidetur propter Lucilii amicitiam, qui satiras ei inscripsit quique anno 600 natus est. Iam neque ille quinquaginta annis maior satiras scripsit neque Stiloni triginta annis iuniori tale munus tribui potuit, quorum alterutrum factum sit necesse est, si maiorem inter illos homines quam uiginti annorum differentiam statuimus. — Haec Nautae sententia[2]) duas ob causas uidetur reicienda esse. Primum enim non assequor, quam ob rem Stilo quinquaginta annis maior orationes scribere non potuerit, deinde — id quod grauius est — alium nunc Lucilio annum natalem tribuimus. De qua re postea uidebimus. — Ritschelius (Parerga p. 239) Stilonem putat ineunte saeculo urbis septimo natum esse, Maduigii igitur adstipulatur sententiae, nulla, quantum equidem uideo, alia re nisus — Lucilium enim et ipse anno 600 natum esse putat — nisi quod et apud Gellium (N. A. III 3, 1 = test. 16) et apud

1) 'In hos eum labores incubuisse non credibile est 50 annis maiorem.'
2) Quam praeter Heusdium secutus est Hertz. de Luciis Cinciis p. 74 adn.

Suetonium l. c. ante omnes alios grammaticos commemoratur Stilo. Ex qua re antiquissimum eum fuisse eorum sane potest colligi, quo uero natus sit anno, non meliore conicere licet iure, quam quo Nauta ille annis quinquaginta maiorem eum orationes non scripsisse concludit. — Iam uideamus, quid ipsi proficere possimus. Atque ex Suetonio, auctore grauissimo, nihil comperimus, quod ad annum eius natalem definiendum quadret, nisi eum Q. Metellum Numidicum in exsilium comitatum esse, qui cum anno urbis 645 consul fuerit (cf. Mommsen, Histor. Rom.[7] III ind. s. u.) certe post a. u. 605 natus non potest esse. Quocum Stilo in exsilium cum profectus sit, amicitia quadam uidetur iunctus fuisse, ut certe multis annis minor quam ille fuisse non possit. Sic igitur ad idem fere ad quod Maduigius et Ritschelius peruenimus tempus. — Alterum autem testimonium est Lucilii poetae, quem uel librum unum uel partem aliquam satirarum ei inscripsisse testis est auctor ad Herennium (IV 12), apud quem hic Lucilii uersus exstat: *Has, Aeli, scriptas res ad te misimu', Luci.*[1]) Lucilium autem Lucianum Muellerum (p. 289 editionis) uel rectius Hauptium secuti natum esse putamus anno urbis 574. Iam igitur si eodem modo quo Nauta computamus, scilicet Lucilium quinquaginta annis maiorem satiras non scripsisse neque ad Stilonem triginta annis iuniorem eas mittere potuisse, Stilo a. u. 624 triginta annorum iuuenis fuit. Atque etiamsi L. Muellerus docet[2]) Lucilium minime quinquaginta annos natum a scribendo destitisse, tamen pluribus quam uiginti annis inferiori librum dedicare uix potuit, ut Stilo post annum 594/160 natus esse non possit. — Itaque etiam hac uia ad idem peruenimus tempus, de quo Maduigius et Ritschelius minus tamen idoneis argumentis usi cogitauerant. Idem fere Teuffelius hist. lit. Rom.[4] p. 231 censet; etsi sex annis post eum natum esse statuit. Decem igitur annis aetate inferior est Accio poetae, totidem superior Afranio.

De fortuna eius et fatis Heusdius p. 36—45 rectissime disputauit. Prioribus uitae annis Lucilii (Auct. ad Herenn. IV 12) et Metelli Numidici usus est amicitia, quem a. 653 in exsilium comitatus est (Suet. l. c.). Num etiam cum Caelio Antipatro artiore quodam uinculo coniunctus fuerit homines docti dubitant.[3]) Exstat enim locus in Ciceronis oratore c. 69, 230: '*Et hic quidem (Cael. Antip.), qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, ueniam petit, et utitur ea traiectione uerborum et nihilo tamen aptius*

1) Ita Muellerus in Lucilii editionis p. 1. Paulo aliter Lachmannus p. 110. 2) Lucil. p. X et 290. 3) Heusd. p. 38—39.

explet concluditque sententias.' Vbi primus Ausonius Popma, deinde eum secuti alii '*L. Aelio*' substituerunt; idque et eo firmatur, quod in libro illo Antipatri Gai Gracchi mors commemorata erat (cf. Cic. de diu. I 26, 56), quam post Laelii occasum accidisse uerisimile est[1]), et eo quod Caelius homini illi se purgat de re quadam grammatica, quam disciplinam Laelius Sapiens certe minus spectabat; id quod nemo adhuc satis mihi uidetur pressisse. Quamquam fortasse hoc possit opponi: cum Lucilius Aelium appellans uitiosa, ut Cornificius dicit, utatur uerborum traiectione, num uerisimile est Caelium eidem homini de eodem uitio se purgauisse? Quod argumentum tantum abest ut infringat sententiam nostram, ut eam confirmet. Quid enim? Lucilius satirarum scriptor nonne iocans ea ipsa, quam Aelius adhiberi uetabat, in ipsis dedicationis uerbis potuit uti loquendi forma? Itaque illud ipsum, quod et apud Aelium Lucilii et apud Laelium illum Antipatri traiectio uerborum commemoratur, nouum uidetur argumentum esse, quo Popmae, Krausii (Hist. fragm. p. 184), Mommseni (Hist. Rom.[7] II p. 457), Luciani Muelleri (Lucil. p. 194), aliorum sententia firmetur. Nam quod Meltzer negat (Diss. de L. Coel. Antip. p. 14 adn.) Caelium, quem a. u. 580 natum esse putat, librum suum, qui non multo post C. Gracchi mortem editus esset, Aelio Stiloni, quem a. u. 620 natum existimat, illis temporibus admodum adolescenti mittere potuisse, haec eo, quod ante exposuimus Stilonem a. u. 594 natum esse, irrita fieri nemo non uidet. — Sed redeamus ad Aelii uitam enarrandam. Itaque postquam cum Metello ex exsilio Romam reuertit, erudiendis adulescentibus operam dedit et orationes nobilissimo cuique scribens cognomen Stilonis sibi peperit. Cf. Cic. Brut. 56, 205—206 = test. 11. Meyer, Orat. Rom. fragm.[2] 1842, p. 336 sqq. Scripsit autem orationes Quint. Caecilio Metello Nepoti, Balearici filio, consulari (a. u. 657), Q. Seruilio Caepioni, Q. Pompeio Rufo (a. 664), C. Aurelio Cottae tribuno (a. 664).[2]) Et quamquam sine dubio etiam aliis orationes scripsit, quorum nomina nobis perierunt,

1) Fuisse eam ob causam, qui duos libros Antipatrum scripsisse censerent, quorum alter esset bellum Punicum, alter is, qui ad Laelium scriptus esset, inter omnes notum est. Cf. Teuffel, H. L. R.[4] p. 216. 2) Hic a Meyero dissentio, qui (p. 337) propter Cic. Brut. 56, 207 Aelium plures orationes Cottae statuit scripsisse; minime enim hoc e Ciceronis uerbis apparet, sed '*Aelianae leues oratiunculae*' significat: '*oratio tam leuis, quales Aelius conscribere solebat.*' (Eine Rede von der geringen Bedeutung, wie sie A. verfasste.) Eadem igitur loquendi forma Cicero hic usus est, qua de orat. III 15, 56: '*Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones fuerunt.*'

tamen ex his tribus ipsis, quos Cicero nominat, satis elucet, quanta apud nobiliores homines floruerit auctoritate, unde illustrantur illius uerba (Brut. 56, 205): '*fuit Aelius eques Romanus cum primis honestus.*' Et ad illas orationes Suetonius uidetur spectare, cum dicat Aelium *multi ac uarii in republica usus fuisse;* muneribus enim publicis non uidetur functus esse. — Discipuli eius, quos nos quidem nouimus, fuerunt Varro (Gell. N. A. XVI 8, 2 = test. 15. Cic. Brut. 56, 205 = test. 11) et Cicero (Brut. 56, 207 = test. 11) fortasse etiam Cincius grammaticus (cf. Hertz, de L. L. Cinciis p. 75. Merkel, Proll. in Ou. Fast. p. LXXVI), quod tamen demonstrari non potest. Neque a uero aberrabimus, si Q. Pompeium A. f. et M. Pisonem, quibuscum Cicero se studiis exercitationibusque coniunctum fuisse in Bruto (68, 240) tradit, et ipsos Aelii discipulos fuisse statuemus. Qualia uero fuerint studia illa, quibus apud eum incumbebant, in Aelii doctrina explicanda uidebimus.

Aelium hominem facetum fuisse Heusdius (p. 36) recte concludit ex Plinii loco H. N. XXXVII 9. Contra quae dicit de loco illo epistularum ad fam. IX 15, 2, ubi Cicero ad Paetum quem propter sales laudat, scribit: '*Te cum uideo, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, uere ut dicam, Crassos quoque et Laelios uidere uideor,*' ubi pro '*Laelios*' scribendum censet '*Aelios*', quod nemo Laelius inueniatur Crassi aequalis neque de Laelio Sapienti ulla festiuitatis fama fuerit, haec mihi, etsi ingeniose excogitata sunt, tamen a uero uidentur abesse. Nam ut omittam Laelium, oratorem celebrem, satis festiuitatis habuisse per se patere — nullo enim modo magnus quidam orator festiuitate potest carere —, certe ex uno illo loco Pliniano minime sequitur Aelium Stilonem tam facetum hominem fuisse, ut cum Lucilio et Granio propter facetias celeberrimis posset coniungi. Et si tamen Aelius tantis facetiis fuisset praeditus, certe Cicero illo Bruti loco (c. 56), ubi fusius de eo loquitur, hoc non praeteriisset.

Quanta ei fuerit res familiaris pro certo demonstrari non potest. Seruos uidetur habuisse, siquidem liberti antea serui fuerunt; recte enim Orellium, quem Heusdius in hoc sequitur, puto suspicari L. illum Aelium, quem Cicero pro Scauro cap. 23 his uerbis commemorat: '*Pueris nobis audisse uideor L. Aelium, libertinum hominem, litteratum ac facetum,*' esse Aelii Stilonis libertum. Secundum eiusdem Orellii sententiam Aelius uillam habuit Tusculanam, sub finem enim primi de oratore libri ille legit: '*Scaeuola: Sane, inquit, uellem non constituissem in Tusculanum me hodie uenturum esse L. Aelio.*' Quam coniecturam probant Hen-

richsenus et Heusdius, improbauerunt Ellendtius et Bakius, quorum posteriorum argumentis Orellius in altera editione se tantum non refutatum sibi uideri concedit. Tamen me ab Orellii partibus stare confiteor. Neque enim exstat ullus Laelius, de quo hic sermo esse possit, neque argumenta Ellendtii et Bakii magni sunt momenti. Bakius enim nihil dicit nisi hoc: 'Laelii nomen non sollicitandum, ubi certi nihil restitui potest: quis iste Laelius fuerit, ignoramus'; Ellendtius uero cum negat uerisimile esse Scaeuolam 'hominem senem et honoratum et ueteris disciplinae cum nouitiae doctrinae cultore eoque libertino aliquid constituisse, nec hunc habuisse praedium suburbanum', sine dubio Aelium Stilonem equitem cum libertino illo confundit, de quo modo disputauimus. Itaque quid Orellii coniecturae obstet non uideo, etsi certam eam esse nemo contendet.

Aelius quo anno mortuus sit non constat neque enucleari potest. Hoc solum possumus affirmare: si anno a. Chr. n. 160 natus est, ultra annum a. Chr. n. septuagesimum uix potuit uiuere; quocum mortis tempore consentiunt quae apud Ciceronem Bruti loco illo iam saepius commemorato (§ 205—207) scripta uidemus, ubi Cicero tam multa de Aelio uerba facit tamque copiose, quid litteris praestiterit, exponit, ut iam aliquo tempore antequam Cicero Brutum edidit, quod anno 46 factum esse uiri docti contendunt, uideatur mortuus esse. Neque abhorrent ab eis quae in Bruto legimus ea quae Acad. I 2, 8 exstant = test. 17. Prodierunt autem Academica anno a. Chr. n. 45.

Quae postquam de Aelii uita exposuimus, nunc de doctrina eius atque studiis disseramus.

Caput II.

De Aelii doctrina atque studiis.

Late patuisse Aelii doctrinam apparet et ex loco Suetonii: '*Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuuinus generque Aelii Ser. Clodius, uterque eques Romanus, multique ac uarii et in doctrina et in republica usus,*' et ex Ciceronis Bruti loco 56, 205—206: '*Fuit Aelius eruditissimus et Graecis litteris et Latinis antiquitatisque nostrae et in inuentis rebus et in actis scriptorumque ueterum litterate peritus. — Idem Aelius Stoicus esse uoluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit.*' Quo Ciceronis loco Heusdius rectissime dicit totius Aelianae doctrinae praestantiam expositam esse. Itaque nobis iam nihil faciendum est, nisi ut ea, quae Cicero breuiter exposuit,

aliorum testimoniorum et praecipue fragmentorum ope adiuti accuratius definire et fusius explicare conemur, quam Heusdius fecit.

Atque ut ab ea ordiamur disciplina, qua nemo tunc temporis homo urbanus carere potuit, a philosophia, Aelium '*Stoicum esse uoluisse*' comperimus. Quae Ciceronis uerba tamen aliter mihi uidentur accipienda esse atque Heusdius uoluit. Patet enim Aelium Ciceroni certe uerum Stoicum non uisum esse. Itaque eam ob causam Ciceronem haec de Stilone dixisse arbitror, quod non ipsi Stoicorum philosophiae operam dedit, sed in studiis suis grammaticis eorum uestigia sequebatur uel disciplina eorum dialectica utebatur ad inuenienda ueriloquia et uerborum compositionem illustrandam. Itaque cum Wilmannsio[1]) librum illum Aelii de proloquiis, qui a Gellio (XVI 8) commemoratur, non pertinuisse puto ad ipsam Stoicorum artem dialecticam — id quod Heusdius (p. 60) contendit —, sed ad uerborum compositionem (*σύνταξιν*), quam Aelius sane secundum Stoicorum doctrinam et praecipue Chrysippi librum *περὶ ἀξιωμάτων*[2]) (Diog. Laert. VII 190) hoc libro illustrare et explanare conatus est. Hinc etiam apparet, cur Gellius, qui illo libro '*in disciplinas dialecticas induci atque imbui*' uoluit, in eo '*nihil edocenter neque ad instituendum explanate*' scriptum fuisse dicat. — Sed non in syntaxi solum tractanda, uerum etiam in ueriloquiis inueniendis Aelium Stoicorum fuisse sectatorem supra diximus. Quod quodammodo confirmatur et Prisciani loco Inst. gr. XI 1 = Gr. L. II p. 548: '*Romani artium scriptores Stoicorum secuti magis traditionem*' et eo, quod Cicero, quem Stoicorum etymologiae rationes despexisse ex pluribus locis (Fest. s. u. oppidorum p. 202 M., Cic. de off. I 7, 23) scimus, etsi Aelium saepius laudat, bis tantum ueriloquium ab eo inuentum commemorat. Iam uero ut ea, quae coniectando magis quam demonstrando assecuti sumus, solidis firmemus argumentis, exposita breuissime Stoicorum etymologiae ratione, qualem Aelius ueriloquiorum indagandorum ingressus sit uiam, ipsis fragmentis explicemus. Vnde apparebit omnes uel certe plurimas illorum rationes etiam ab hoc obseruatas esse.

Ac primum quidem uideamus — in quo Stoicorum etymologiae summa est posita — quo modo illi putent factum esse, ut res nominarentur: quae quidem quaestio non minus ad philosophiam quam ad grammaticam pertinet. Atque hic Lerschii[3]), R. Schmidtii[4]),

1) De Varr. libr. gramm. p. 15. 2) *ἀξιώματα* enim a Varrone, qui in hoc sine dubio magistrum secutus est, proloquia appellata esse Gell. N. A. XVI 8 testis est. 3) Philos. ling. III p. 41—51. 4) Stoic. gramm. p. 23 sqq.

Steinthalii[1]) libris tam bene adiuuamur, uix ut noua nobis inquisitione opus sit. Qui uiri docti locum secuti Augustini (Dial. princ. c. 6) a Th. Stanleio (Hist. philos. p. 566 Lips.) primum laudatum — quem Wilmannsius[2]) R. Schmidtium (Stoic. gramm. p. 27 adn. 45) secutus e Varronis de lingua Latina libris II—IIII putat fluxisse — quattuor demonstrant Stoicis fuisse rationes quibus singularum uocum origines inuestigare conarentur: primam fuisse '*κατὰ μίμησιν*', atque talem uim habuisse, ut ea uerba inquirerentur, quae sono suo cum re aliqua similitudine concinerent. Nam omne uerbum ei quam significet rei debere respondere. Cui condicioni si proximum ueriloquium non satisfaciat eius rursus originem esse quaerendam, '*donec perueniatur eo, ut res cum sono uerbi aliqua similitudine concinat.*' Quod '*concinere*' quo modo fiat in eis rebus, quae non sonant, etsi ab Augustino bene explicatur, tamen hic longum est exponere. — Altera ratio est rerum inter se similitudo, '*ut cum uerbi causa crux propterea dicta sit, quod ipsius uerbi asperitas cum doloris, quem crux efficit, asperitate concordet: crura tamen non propter asperitatem doloris, sed quod longitudine atque duritie inter membra cetera sint ligno crucis similiora sic appellata sunt.*' — Tertia est ratio abusionis, '*ut usurpetur nomen non rei similis, sed uicinae. Quid enim simile habet significatio parui et minuti, cum possit paruum esse, quod non modo nihil minutum sit, sed etiam aliquid creuerit? Dicimus tamen propter quandam uicinitatem minutum pro paruo. Cum piscina dicitur in balneis, in qua piscium nihil sit, nihilque simile piscibus habeat, uidetur tamen a piscibus dicta propter aquam, ubi piscibus uita est.*' Atque haec abusio ipsa denuo in septem diuiditur partes: 1) *per efficientiam: foedus a foeditate porci per quem foedus efficitur;* 2) *per effecta: puteus, quod eius effectum potatio est;* 3) *per id quo continetur: urbs ab orbe, quod auspicato loco circumduci aratro solet;* 4) *per id quod continet: horreum mutata littera ab hordeo;* 5) *per abusionem: cum hordeum dicimus et ibi triticum conditur;* 6) *a parte totum: mucro pro gladio;* 7) *a toto pars: capillus quasi capitis pilus.* — Quarta ratio fit per contrarium: '*nam lucus dictus putatur, quod minime luceat*' etc. — Haec Augustini enarratio etsi Steinthalio (p. 326) magis ad dialecticam, quam ad etymologiam uidetur spectare, quam ob rem *μετάθεσιν* et *σύνθεσιν*,

1) Hist. ling. p. 323 sqq. 2) De Varr. libris gramm. p. 16 et 145. Wilmannsium etiam in uerbis Augustini adscribendis secutus sum.

quae tamen ad uerborum inuentionem nihil attinent, ab eo omissas esse queritur, tamen omnia continet quae de Stoicorum etymologia a ueteribus nobis tradita sunt, praeter *στέρησιν*, quae nescio an cum quarta ratione cohaereat.

Quarum quinque rationum in quindecim solum Stilonis fragmentis uestigia apparent, de reliquis undetriginta — quattuor enim et quadraginta fragmenta certo ei possumus attribuere — ego quidem nunc despero. Atque luculentissima uestigia inuenimus rationis *κατ' ἀντίφρασιν* siue *per contrarietatem*, quam Augustinus ultimo loco posuit et cui Stilonem maxime fauisse iam Lobeckius (Act. soc. Graec. II p. 292) uidit.[1]) Exstant autem illa in fragmentis 7. 13. 21. 28. — Deinde unum exemplum habemus *μιμήσεως* in fragmento 19. — Per similitudinem Aelius Stilo uerbum '*nebulo*' mihi uidetur explicasse (fragm. 24). Quae ratio fortasse etiam aliis praeterea fragmentis subsit; sed cum uestigia eius in nullo tam aperta iaceant, ut de illis non possit dubitari, ea potius omittamus. — Abusione Stilo usus est in explicandis uerbis octo. Quorum '*per effectum*' unum (fr. 40), '*per efficientiam*' unum (fr. 26), '*per id quo continetur*' tria (frgg. 2. 25. 31), '*per id quod continet*' duo (frgg. 34 et 35), '*per (propriam) abusionem*' unum (fr. 32) explicauit. Restat quam Augustinus omisit, *στέρησις*, cuius exemplum apud Stilonem exstat in fragmento 17.

Haec sunt Stoicorum disciplinae in Aelii etymologicis uestigia, quae etsi pauca sunt, tamen satis perspicua. Ne tamen illum solum sic a Stoicis credas pendere: nam apud ceteros quoque illius aetatis grammaticos eaedem explicandi rationes occurrunt et praecipue abusionis multa exstant exempla: apud Cincium nouem, apud Cloatium tria, apud Nigidium duo etc. — Quam Stoicorum disciplinae notitiam si quaerimus unde Aelius hauserit, responsum ferimus certissimum a Curtio Wachsmuth, qui in libello quem scripsit de Cratete Mallota (Lips. 1860 p. 7) rectissime dicit locis Cic. Brut. c. 56 et Prisc. Inst. gr. XI p. 910 P. = Gr. L. II p. 548, 12 elucere, quaecunque Stoicae disciplinae apud grammaticos Romanos exstent uestigia, ea ipsis Stoicis deberi. Suis igitur oculis Aelius Stilo Stoicorum scripta, quae de rebus grammaticis agebant, inspexit, et sine dubio Chrysippi praecipue, quem de etymologia multa scripsisse nemo nescit[2]), libros adhibuit. — Et ad Chry-

1) 'Varro nec nomine antiphrasis utitur nec praetextu, etsi praeceptorem habuit in hanc partem propensum, Aelium Stilonem.' 2) Cf. Chr. Aronis, *Χρύσιππος γραμματικός*. (Ien. 1885) p. 32.

sippum etiam ea referenda uidentur, quae nunc afferre mihi liceat, mutationes litterarum et similia, quae Stoicis solis tribuere nimiae esset audaciae, sed quae praecipue ad etymologiam ipsam, sicuti a ueteribus philosophis incohata, a Stoicis aucta, a grammaticis denique Alexandrinis ad summum cacumen ducta est, spectant. Quibus Chrysippum enixius operam dedisse docet Varro de ling. Lat. VI 2: *Huius rei (sc. ut uerborum cognationi morem geram) auctor satis mihi Chrysippus et Antipater, et illi in quibus, si non tantum acuminis, at plus litterarum, in quo est Aristophanes et Apollodorus, qui omnes uerba ex uerbis ita declinari scribunt, ut uerba litteras alia assumant, alia mittant, alia commutent, ut fit in Turdo, in Turdario, in Turdelis.'* Quae Varronis uerba uera esse nemo qui Etymologicum magnum uel semel inspexerit, infitiabitur, et eodem modo apud Aelium quoque uerba declinari, uel, ut nos potius dicimus, deriuari, nunc uidebimus.[1])

Atque ut ordiamur ab litterarum mutatione, hoc nomine cum Lerschio (l. c. p. 100) etiam litterarum correptionem, duplicationem, diphthongorum dissolutionem, extensionem, crasin comprehendo. Quarum quae apud grammaticos Romanos in uniuersum exstarent uestigia iam Lerschius (III p. 176—178) perscrutatus est, in singulos uero nemo adhuc inquisiuit. — Atque propriae litterarum mutationis (ita, ut altera in alteram mutetur) haec apud Stilonem exstant exempla: 1) *A in O: nebulo ex nebula.* 2) *E in I: assiduus ab asse dando* et *pituita, quod petat uitam.* 3) *E in U: petaurista: πρὸς ἀέρα πέταται. lepus: leuipes.* 4) *A in U: assiduus ab asse dando.* 5) *O in I: miles: mollis.* Haec sunt uocalium mutationes[2]), quibus adiungatur V in U dissolutum in uoce '*pituita*'. — Inter consonantes **b** in **p** mutatur in uerbo *nuptiae (a nubendo)* sicut **g** in **c** in uoce *uictima (a uigore);* **d** in **l** in uocibus *Nouensiles (Nouensides)* et *Dius Fidius (Diouis filius).* — Litterarum corruptionis (συστολῆς) habemus haec exempla: A. Vocalium: *Pŭticulae (pūtesco).* B. Consonantium: *triones (terriones).* — Vocalium extensionis quoque unum exemplum exstat: *nuscitiōsum: nisi usque ad ŏculos.* — Consonantium duplicationis exemplum est *terra a terendo.* Crasis quae dicitur exstare uidetur in uerbo *Dius Fidius e Diouis filius.* — Diphthongorum dissolutionis nullum inueni exemplum.

1) In his quae sequuntur, Lerschii sequor doctas de hac re disquisitiones quae Phil. ling. III p. 96—105 et 175—178 exstant. 2) Possis sine dubio etiam alias inuenire, terminationes enim uerborum saepissime mutant uocalem, sed ego grauissimas enumerasse satis habeo.

Alterius, quam Lerschius p. 177 nominat, regulae, elisionis, octo exstant exempla. Et quinquies Stiloni 'e' uidetur extritum esse; in uocibus: *Ref(e)riua faba, t(e)riones, mon(e)strum, lat(e)ro, pandere (a pane dando);* semel 'i' *'uulpes* e *'uólipes'*; semel duae litterae 'ui', *'lepus'* ex *'leuipes'*.

Litterarum assumptionis, quae tertia est regula, omnes fere Stilonis etymologiae praebent exempla, in omnibus enim praeter litterarum mutationem uel elisionem etiam una uel plures litterae adduntur.[1])

Et de singulis litteris haec hactenus. Restat autem, ut rationem aliquam commemoremus ueriloquia inueniendi, quam iam ante Stoicos a Platone et Aristotele adhibitam uidemus, quaque uerba per compositionem putantur nata et ita explicantur, ut terminatio quoque, interdum etiam omnis littera, singulare aliquid significare putetur[2]). Sic Plato Cratyl. 399 C *ἄνθρωπος* explicat per *ἀναθρῶν ἃ ὄπωπεν* et Aristoteles ap. Athen. II p. 40 d *μεθίειν* putat factum esse e *μετὰ τὸ θύειν*. Et haec quoque ratio apud Aelium occurrit in fragmentis 3, 18, 20, 25, 27, 29, 30, 31, 44. Tamen uerba quae in his fragmentis explicantur si contemplamur, mirum uidetur, quod Aelius in his solis uerbis etymologiam, ut ita dicam, ad litteram adstringens etiam terminationem explicare studuit, cum in aliis, quorum terminatio non minus magna est, eam neglexerit. Talia sunt: *Monstrum (moneo), molucrum (mola), uictima (uigor), ordinarius (ordo), triones (terra), puticulae (putesco), intempestam (tempus), refriua faba (refero).*[3])

Quae quoniam de Aelii rationibus etymologicis diximus, quaestio oritur, utrum ipse in declinandis uerbis earum sibi fuerit conscius an, etsi Stoicorum etymologias imitaretur, tamen magis prout similia ei uidebantur, uerba ex uerbis deriuarit. Quae quaestio certo uix poterit diiudicari ex paucis illis quae nobis manserunt fragmentis. Tamen eum non quasi somniantem eas rationes secutum esse, sed earum sibi conscium fuisse uerisimile fit ex sex fragmentis, quorum in duobus (13 et 21) antiphrasis, si non a Stilone, at ab eo, qui eum exscripsit, nominatim commemoratur, in uno (19) ratio *κατὰ μίμησιν*; in tribus reliquis (15. 25. 38) litterarum mutationes excusantur. Verisimile etiam eam ob rem mihi

1) Quam explicandi rationem Cicero notat Top. VIII 36. — Litterarum permutationis (*μεταθέσεως*), quam Lerschius p. 103 frequentem esse dicit apud Graecos, nullum apud Aelium inueni exemplum. 2) Aristot. Magn. Moral. I 6: *εἰ δεῖ παρὰ γράμμα λέγοντα τὴν ἀλήθειαν ὡς ἔχει σκοπεῖν· δεῖ δ' ἴσως.* 3) Cf. etiam Cic. Top. l. l.

uidetur esse, quod, si totus ille Augustini locus re uera Varronis est, Varro has Stoicorum sententias, etsi et ipse Graecos fontes adire non supersedit, tamen sine dubio magna ex parte magistro suo debuit, unde Stilonem ipsum de illis multa secum reputauisse sequitur.

Iam ut relictis Aelii studiis etymologicis de eis fiamus certiores, quae ad litteras et antiquitates spectabant, praeter Ciceronem, qui eum l. c. eruditissimum et Graecis litteris et Latinis nominat, etiam Varro adeundus est, qui de l. Lat. VII 2 eum in primo in litteris Latinis exercitatum et in rerum diuin. lib. XIIII (Gell. I 18) litteris ornatissimum dicit. Idem Gellius (III 3, 12 = test. 14) testatur. Quae omnia Aelii qui commemorantur librorum titulis et praecipue fragmentis maxime confirmantur. Et de libris eius post uidebimus, fragmenta uero, quae manserunt, ad diuersissimos spectant et litterarum et uitae humanae locos. Ex eis enim, quae sine dubitatione ei possumus uindicare, nouem habemus, quae spectant uel spectare uidentur ad carmina Saliaria, quattuor quae ad XII tabulas, duo quae ad Afranium, unum quod ad Cassium[1]), tria quae ad Catonem, duo quae ad Ennium, duo quae ad Lucilium, tria quae ad Plautum.[2]) His igitur poetis operam dedit omnibus; Plauto tamen eum maxime studuisse uerisimile fit et eo, quod indices Plautinos composuit (de quibus infra agetur), et ex Quintiliani loco Inst. or. X 1, 99 = test. 19, quo Aelium censuisse dicit '*Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui uellent*'. Et de Ennianis eius studiis praeter fragmenta testis est Gellius (N. A. XII 4, 5 = test. 24).

Verba uero, quae Aelius sibi explicanda proposuit, siue unde sumpta sint scimus siue nescimus, ut iam diximus, ad diuersissimas uitae humanae condiciones spectare, conspectus eorum, quem nunc subicimus, ostendet:

1) di: *Manes, Maniae, Dius Fidius, Nouensiles, Panda.* 2) homines: *nebulo, petauristae, latro, miles, ordinarius, assiduus.* 3) res sacrae: *monstrum, nuptiae, obstitum, refriua faba, Saliae uirgines, subucula, uictima.* 4) res naturales: *alae, lepus, mina, uolpes.* 5) res rustica: *triones.* 6) supellectiles: *portisculus, uniones, uacerra.* 7) alimentum: *myrrhina.* 8) loca et quae in his sunt: *terra, caelum, tumulus, sobrius uicus, procestria, puticuli.* 9) morbi: *nusciosus, pituita, sonticus morbus.*

1) An Accium? cf. Ribb. tr. fr. Att. praet. 41 p. 285. 2) Cf. Leidolph, de Festi et Pauli locis Plautinis p. 208 adn.

10) singula: *intempesta nox, lessus, daliuum, tamne, uapula, naucum, tongere, manuos.* — Videmus igitur Aelium peritum fuisse rerum sacrarum, rerum ad medicorum artem spectantium, rerum naturalium, rerum rusticarum, neque ignarum eum fuisse supellectilis, qua singuli artifices et opifices utebantur, denique optime eum nouisse et incolas urbis Romae et urbem ipsam. Quae omnia cum magna ex parte cognosci non possent nisi ex antiquitate, Ciceronem apparet recte dicere Aelium antiquitatis Romanae et in inuentis et in actis late fuisse peritum, ubi acta Bakius[1]) recte dicit referenda esse ad historiae euenta, sicut inuenta ad mores, ad instituta, ad publicam priuatamque disciplinam.[2])

De Aelii studiis rhetoricis praeter Ciceronem[3]) testes sunt Suetonius (l. c.) et Fronto (Ep. ad Caes. et inu. I 7 = test. 25) neque tamen multa de eis traduntur. Immo ex Ciceronis loco apparet Aelium in eloquentia non ita multum profecisse[4]), etsi fortasse cum una cum Metello exsulante Rhodi esset (Liu. epit. 69) Apollonium Alabandensem, summum eloquentiae magistrum, audiuerat. Atque eam ob causam, quod Cicero studia eius rhetorica minime laudat, non ita mihi uidetur uerisimile, quod Aelius uulgo creditur[5]) Ciceronis in rhetoricis fuisse magister; immo omnino nunquam mihi uidetur exstitisse eloquentiae praeceptor, sed studiis suis rhetoricis sic tantum usus esse, ut aliis orationes scriberet, interdum haudquaquam optimas. Audisse tamen Ciceronem Aelium cum constet, res grammaticas, quibus orator minime carere potuit et quarum Aelius unice peritus erat, ab eo uidetur didicisse.

Caput III.

De Aelii Stilonis scriptis.

Aelii scripta, quae pro certo ei possunt adscribi, haec sunt: 1) explanatio (siue interpretatio) carminum Saliarium (Varro de l. Lat. VII 2, Festus p. 141 M.). 2) indices Plauti (Gell. III 3). 3) commentarius de proloquiis (Gell. XVI 8). 4) orationes aliquot (Cic. Brut. 205—206, Suet. de gr. 3). 5) Metelli Numidici librorum recensio (Fronto ad M. Caesarem et inu. I 7). — Aelii scripta de quibus dubitatur uel dubitare licet sunt haec: 1) XII tabularum interpretatio (H. p. 58). 2) antiquitates (H. p. 56). 3) liber

1) Cf. Bake in Bibl. crit. noua I p. 136. 2) De Aelii antiquitatis studiis cf. etiam de orat. I § 193 = test. 18 cum adn. 3) Brut. l. c. 4) *Orator nec studuit nec fuit. — Aelianae leues oratiunculae.* 5) Heusde p. 52 sq.

historicus (Egger, serm. lat. uet. rell. p. 3). 4) libri etymologicorum (H. p. 60). 5) commentarius ad Plautum et alios poetas (Gräfenhan, hist. philol II p. 338). 6) Ennii, Plauti, Titii poematum, Scipionis orationum (Suet. de uiris inl. fr. 108* p. 138 Reiff., Lersch, Museum d. Rhein. Westphäl. Schulmännervereins III p. 237) recensio. 7) liber grammaticus (H. p. 60—61).

Atque ut primum de certis disseramus scriptis, de carminum Saliarium interpretatione locus grauissimus est Varronis de l. Lat. VII 2 = test. 9. Vbi Varro dicit interpretationem illam '*exili littera expeditam*' fuisse in eaque '*praeterita obscura multa*'. Quae sine dubio sic intellegenda sunt, ut Varro Stilonis explicationem perbreuem fuisse dicat. Praeterea ex omnibus, quae et antequam Aelii librum memorat et postea disputat, apparet Aelium per etymologiam quid uetusta illa uerba significarent eruere uoluisse. De totius uero libri ratione atque condicione, cum perpauca tantum fragmenta seruata sint, nihil fere scimus. Hoc tantum ausim contendere, Stilonem in explicandis uerbis etiam de Saliorum cultu ritu supellectile breuiter disseruisse. Cf. fragm. 5. 6. 10. 11. 12.

Iam uenimus ad indices Plauti, quos Heusdius (p. 64) eumque secutus Teuffelius (Litt. Rom. hist.[4] p. 232) ridiculo errore 'indices super his Plauti fabulis, quae dicuntur ambiguae' nominant.[1]) Quorum praeter Gellium (III 3) nullus ueterum scriptor facit mentionem, neque fragmenta Aeliana apud Varronem et Festum seruata, quae ad Plautum spectant, ad eos uidentur referenda esse.[2]) Exstant enim explicationes atque adnotationes Aelii non ad Plauti solum, sed ad Ennii, XII tabularum, librorum augurum, Afranii, Cassii, Lucilii, Catonis locos spectantes, quas facere non possumus, quin omnes ex uno eodemque libro, de cuius nomine postea uidebimus, sumpta putemus. Nam profecto si Aelius Plautum proprio libro explicatum edidisset, tunc et Verrius uel Festus explicationes Aelii Plautinas ab Ennianis Lucilianis aliis etiam ipsa laudandi ratione distinxisset, et certe multo plures haberemus explicationes Plautinas, quae ad Aelium referendae essent, quam Ennianas Catonianas Lucilianas; nunc autem habemus tres Plautinas, tres Catonianas, duas Lucilianas. — Itaque ea solum de indicibus illis scimus, quae apud Gellium (III 3, 1 = test. 16 et III 3, 12 = test. 14) exstant: '*Feruntur sub Plauti nomine comoediae circiter centum atque triginta; sed homo eruditissimus L. Aelius*[3]) *quinque et*

1) Quem errorem iam Ritschelius (Parerg. p. 357/8 adn.) notauit. 2) Hic contra Ritschelium dico, qui (Par. p. 180) dubitat, an etiam explicationes uerborum in his indicibus fuerint. 3) *L. Aelius* Carrio. *laelius* cod.

uiginti eius esse solas existimauit.' Continebantur igitur illis indicibus eae fabulae, quae Aelio genuinae uidebantur esse, fortasse etiam spuriae, sed hae certe a genuinis seiunctae (cf. Ritschelii Parerga p. 91); quas tamen genuinas iudicauerit, nunc exceptis duabus non iam assequimur: agnouit enim Faeneratricem (fr. 42), quam Varro fortasse repudiauit, et Pseudolum (test. 20).

Super commentario de proloquiis iam p. 11 nonnulla disseruimus, ut hic breuiores esse possimus. Ac ne hic quidem liber excepto Gellii loco (XVI 8) usquam commemoratur atque huius scriptoris temporibus iam adeo obsoletus erat atque usu remotus, ut ei studiose quaerendus esset. Agebat autem Aelius libro illo, ut supra diximus, de uerborum compositione.

Orationes eius (de quibus cf. etiam p. 8 et 17) dubium est num editae sint, praesertim cum magni pretii non uideantur fuisse.

Praeterea Aelius Stilo secundum Frontonem (test. 25) Metelli Numidici libros descripsit[1], h. e. recensionem fecit eorum. Ex qua recensione Gellius fortasse ea hausit, quae e Metelli orationibus et epistulis affert (cf. VII 11. XVII 2, 7). Cf. Meyer, Orat. Rom. fragmenta[2] p. 272—277. Neque tamen descripsisse solum uidetur Aelius Stilo hos libros uel recensuisse, sed etiam perpoliuisse atque aptiores fecisse ad legendum, ut laus ea, quam Gellius (XVII 2, 7) Metello impertit, certe aliqua ex parte ad Aelium sit referenda. — Atque de his Aelii libris haec hactenus.

Praeter quos ut etiam alios eum scripsisse contenderent sine dubio eo uiri docti commoti sunt, quod sane multa eius exstant fragmenta quae ad nullum eorum quos modo considerauimus librorum reuocari possunt. Quomodo enim fragmenta illa etymologica e Plauto, Afranio, Ennio, aliis sumpta uel in interpretatione carminum Saliarium (praesertim cum illa *'exili littera expedita'* esset) uel in indicibus Plautinis uel in commentario de proloquiis exstare potuerunt? Itaque unum uel plures praeterea libros scripsisse Aelius mihi quoque uidetur: id solum quaeritur, quem et quot illorum librorum, quos uiri docti eam ob rem ei assignare uoluerunt, reuera scripserit.

Et commentarium quidem de XII tabulis, quem supra dubiorum primo posuimus loco, praeter Heusdium ei tribuerunt Lersch.

1) Inter complures enim illos homines, qui a Frontone memorantur, Metellum illum esse, cuius libros Stilo descripsit, amicitia illa, quae ei cum illo intercedebat, ueri fit simillimum. Neque solum de orationibus Metelli cogitandum esse, ut Lersch. l. c. putat, sed omnino de libris, e Gellii loco XVII 2, 7 apparet, ubi epistula eius ita commemoratur, ut Gellius eam legisse uideatur.

(phil. ling. III p. 147), Eggerus (serm. lat. rell. p. 6), Graefenhan (hist. philol. II p. 252), Schoell (XII tabb. p. 26), Sanio (Varroniana p. 93), abiudicauit Voigtius (XII tabb. p. 66). Et qui ei hunc librum accensendum duxerunt, Ciceronis loco de leg. II 23 (frgm. 19) nisi sunt, ubi ad '*lessum*', uocabulum XII tabularum, explicandum Cicero L. Aelium post ueteres harum legum interpretes commemorat. Quem tamen locum qui accuratius contemplatus erit, minime id eo effici uidebit, quod illi uoluerunt, sed prorsus contrarium. Nam ueteres interpretes quos Cicero nominat sunt Sex. Aelius et L. Acilius: deinde L. Aelius non ut interpres, sed ut homo quidam, qui et ipse nonnullis illarum legum uocabulis operam dedit explicandis, ad partes uocatur. Itaque ex hoc loco Aelium talem librum composuisse mihi quidem non uidetur consequi. Accedit, quod apud Festum, ubi XII tabulae quinquies et uicies in quaestionem uocantur, uno tantum loco coniunctim cum iis Stilo laudatur, cum in carminum Saliarium, quae sexies nominatim afferuntur, uerbis explicandis quater Stilonis nomen adscriptum sit. Voigtio igitur assentiens nego tale opus ab Aelio conscriptum esse; et hoc quoque uirum illum doctum recte puto dixisse: si reuera tale eius opus exstitisset, futurum fuisse, ut inscriptio eius alicubi commemoraretur. Quod imprimis in locum illum quadrat Varronis de ling. Lat. VII 2, ubi scriptor ille Aelii carminum Saliarium interpretationem laudat, de XII tabularum uero interpretatione nullum facit uerbum. Itaque hunc librum mittamus: unde uero fragmenta Aeliana, quae ad tabulas illas spectant, sumpta sint, postea patebit.

Venimus ad libros antiquitatum, quales Aelium scripsisse ex fragmentis, quorum conspectum p. 16 sq. dedimus, ueri simillimum uidetur fieri. Obstat tamen mea quidem sententia hic locus ipse (Cic. Acad. I 2), quo nisi Ernestus, Orellius, Suringarius, alii Aelium tales libros composuisse contenderunt, ubi Cicero Varronem dicentem facit: '*Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possent*[1]), *ea...feci ut essent nota nostris: a Graecis enim peti non poterant ac post L. Aelii*[2]) *nostri occasum ne a Latinis quidem.*' Antiquitatum igitur notitia si post Aelii mortem a nullo Romano peti potuit, quonam Aelii libri abierant? Non igitur uidetur tales libros scripsisse aut una cum eo interierunt. Atque etiam Heusdius de eis dubitauit.

Itaque, ut tandem uideamus, unde fragmenta illa dubiae sedis sumpta sint, ad librum illum transeamus etymologicum, quem

1) Antiquitatum studia intellegenda esse ex iis apparet, quae Cicero respondet. 2) *L. Aelii* Manutius, *laelii* codices.

Heusdius (p. 60) eum scripsisse collegit, cuius sententiae aduersantur Graefenhanius, Lerschius, Schoellius. Qualem librum ut Aelio tribuam, eo maxime commoueor, quod ad eum omnia, quae non ad carmina Saliaria spectant, fragmenta optime possunt referri; nam ea cum sint diuersissima (cf. p. 16) aut ad multos libros — id quod minus uerisimile est, quod nulla nobis mansit inscriptio — aut omnia ad unum librum referri oportet. Et illum librum ita puto institutum fuisse, ut Aelius multa uerba aut rara aut obsoleta colligeret et partim etymologia, partim exemplis undique litterarum sumptis, partim utraque ratione illustraret. Glossographicum igitur uidetur fuisse opus, unde Aelium glossographorum (non glossematorum scriptorum: cf. Goetz, ind. lect. aest. Ien. 1886 p. X) primum possimus nominare. Atque ut plus audeam, etiam testimonium de illo opere mihi uideor inuenisse, etsi sola coniectura nititur. Nam apud Festum s. v. molucrum p. 141 M. (cf. fr. 5 et dub. fr. 5), quem locum mutilatum Vrsinus sine dubio recte emendauit, Aelii explicationi ex interpretatione carminum Saliarium sumptae antecedit alia ex alio eiusdem libro petita, quem tamen librum non indices Plauti aut commentarium de proloquiis fuisse per se apparet, sed est ille liber de quo nunc nobis quaestio est. — Itaque talis liber quin exstiterit neminem puto posse dubitare. Quae uero eius fuerit condicio et quomodo singula ordinata, uix quisquam clarius cognoscet, quam nos supra coniectando fecimus. Mittamus ergo illum librum qui, etsi nobis nullum eius remansit testimonium certum, tamen apud ueteres adeo notus erat, ut laudantibus ne nomen quidem eius esset appellandum.

Iam apparet, si fragmenta Aelii plurima ad hoc opus redeunt, cadere illa, quae Eggerus (serm. lat. uet. rel. p. 3) de fragmentis quibusdam ex libro historico sumptis et Graefenhanius (hist. philol. II p. 338) de commentario eius in comicos Romanorum poetas suspicati sunt. Accedit, quod quattuor illorum, quae Eggerus historica nominat, fragmentorum duo non sunt Aelii Stilonis (cf. frgm. spur. 2) unum non fragmentum, sed testimonium est (test. 3), quartum quod restat, optime ad librum etymologicum referri potest (fr. 41).[1])

Aliud fortasse statuendum est de Aelii recensionibus. Nam praeter Metelli libros Lerschius l. l. suspicatur eum Scipionis quoque, qui easdem quas Metellus in republica sequebatur partes, edidisse orationes, nec minus Plautinas et Titianas fabulas recensuisse. Quam sententiam, etsi nihil habeat quo fulciatur praeter locum illum

1) Cf. Hertz., Ien. A. L.-Z. 1844, p. 728.

Frontonis (test. 25), ubi insuper Plautus ne commemoratur quidem et ubi Aelium Scipioni et Titio operam dedisse minime disertis uerbis traditur, sed colligi solum potest, tamen nolui silentio praeterire, quod secundum Suetonii librorum de uiris inlustribus fragmentum 108* R. = test. 26 cum Varrone et Sinnio Capitone inter eos erat, qui criticas fecerunt adnotationes ad Ennii, Lucilii, historicorum libros. Itaque si omnino talibus negotiis operam dabat, fortasse etiam Plauto et Titio operam nauauit.[1]) Ex scriptoribus autem iis, qui apud Suetonium enumerantur, Lucilius, quocum Stilo amicitia coniunctus erat, is mihi uidetur esse, cuius libros critica adnotatione ornauit. — Restat liber ille grammaticus, quem Heusdius (p. 60) Aelio uindicare uult, quod 'apud grammaticos Aelii inuenitur sententia de rebus, quae ad grammaticam artem pertinent'. Quae cum diceret Heusdius, quattuor locos uidetur respexisse: apud Varronem de l. Lat. VI 59 = test. 21, apud Gellium V 21, 6 = test. 22, apud Charisium Inst. gr. I p. 84 et 129/30 K. = frg. 16 et 33, qui sane multum differunt a ceteris Aelii fragmentis, quae quantum potuimus singulis libris inseruimus. Sed ut omittam primum et alterum locum non fragmenta esse, sed testimonia (cf. adn. ad test. 21 et 22), ea quae illis quattuor locis tractantur etiam in libro quodam etymologico strictim attingi potuerunt, praesertim cum de libri illius indole nihil certius nobis traditum sit. Accedit, quod locis illis Charisii, quorum ille alterum e Romani, alterum ex alius cuiusdam scriptoris, certe non Stilonis, exscripsit libro, facile etymologia, quae olim apud Aelium exstiterat, potest omissa esse.[2]) Itaque duo illa fragmenta libro etymologico puto uindicanda esse neque de peculiari libro grammatico cogitandum.

Libri igitur Aelii Stilonis mea quidem sententia hi sunt: 1) interpretatio carminum Saliarium. 2) indices Plauti. 3) commentarius de proloquiis. 4) orationes aliquot. 5) liber etymologicus (cuius inscriptionem nescimus). 6) recensiones librorum Metelli Numidici et Lucilii satirarum, fortasse etiam Scipionis orationum.

Restat ut a quibusnam scriptoribus illi Aelii libri adhibiti sint, paucis adumbremus, qua de quaestione cum ab iis, qui de posteriorum grammaticorum fontibus disputauerunt, permulta sagacissime enucleata sint, nihil mihi faciendum est, nisi ut ea dispersa ac dissipata in unum congeram.

Commemoratur Aelius Stilo a Varrone, Cicerone, Verrio Flacco, Plinio maiore, Quintiliano, Suetonio, Frontone, Gellio, Nonio, Arnobio,

1) Cf. Osann., Anal. crit. p. 158. 2) Cf. adn ad frg. 16 et 33.

Charisio, Seruio, Isidoro, unde notitiam eius apparet uiguisse ab aurea quam dicimus latini sermonis aetate usque ad saeculum post Chr. n. septimum.

Tamen Gellium et qui eum secuti sunt scriptores ipsum Aelium inspexisse ex tota illius aetatis indole uix est credibile: itaque nunc qui uiri ipsi ipsum Aelium inspexerint et quo usque ipsi eius libri durauerint uideamus. — Atque unum eius librum, commentarium de proloquiis, ab ipso Gellio inspectum esse iam uidimus, de reliquis libris post Verrium Flaccum, ubi tamen unus tantum liber commemoratur, certa testimonia non habemus. Sed sine dubio Varro, Aelii discipulus, etsi solam carminum Saliarium interpretationem aperte nominat, omnia eius opera ipse inspexit. Atque illam, ut iam diximus, de l. Lat. VII 2 commemorat: quae uero praeterea Stilonis fragmenta exhibet, ea ex opere illo etymologico sumpta sunt. Praeterea uero Varronem, quem summe Plauto dedisse operam scimus (Ritschelii Opusc. III p. 455), magistri sui indices Plautinos neglexisse uix credas, praesertim cum Gellius totum illud caput, quo de indicibus Plautinis agit, Varroni uideatur debere. Ac ne '*leues quidem Aelii oratiunculas*' nec Metelli aut Lucilii librorum recensionem eum despexisse existimo, etsi neque apud Varronem ipsum neque apud alios praeter Ciceronem, Suetonium, Frontonem quidquam de iis est traditum. Commentarium uero de proloquiis Varronem nouisse ex ipso Gellii loco XVI 8 satis apparet, quem tamen librum praeter illos duos nemo commemorat. — Praeter Varronem autem Verrius eum inspexit, quod cum multi illi loci, ubi nomen eius affert, tum is praecipue confirmat, ubi Cloatium et Aelium iisdem fere uerbis usos esse dicit (p. 309 M. = frg. 12)[1], unde et Cloatii et Aelii librum ipsum eum adhibuisse ueri fit simillimum. Accedit quod plurimorum hominum doctorum iudicio Verrius Varronis libros de lingua Latina, e quibus solis, nisi ab Aelio ipso, tot Aelii explicationes sumere potuit, omnino non adhibuit. — Praeterea Ciceronem, etsi duas tantum Aelii profert explicationes, magistri sui libros euoluisse crediderim. — Plinius utrum Aelium ipsum adierit necne, nemo adhuc satis perscrutatus est; mihi loco illo N. H. IX 123 (= frg. 41) ubi legimus: '*(Uniones) primum coepisse circa Sullana tempora minutas et uiles Fenestella tradit manifesto errore, cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat*' Plinius propterea, quod Stilonis uerba tam aperte Fenestellae obiciuntur, ipsum Aelii librum

1) Cf. Reitzenstein., Verrian. Forschg. (Vratisl. 1887) p. 90.

uidetur usurpasse. Contra aliis tribus locis, ubi Aelius apud eum commemoratur (XIV 93 et ind. XIV et XV) propterea quod quoque loco una cum Scaeuola et Ateio Capitone occurrit, e libro aliquo, ubi una cum illis appellatus erat, uel fortasse ex Ateii coniectaneis eius mentio mihi uidetur hausta esse.[1]) De qua Plinii citandi ratione cf. Brunn, de auct. ind. Plinianis (Bonnae 1856) p. 1 sq. In libris autem quos scripsit dubii sermonis quin Aelium respexerit uix potest dubitare, quisquis quanta Aelius in rebus grammaticis floruerit auctoritate uel paululum perspexit. Et sane habemus duos huius libri locos, ubi Stilo commemoratus est: ap. Charisium ed. K. p. 129, 31—130, 3.[2]) Tamen Plinius, cum H. N. praef. 28 dicat 'Stoicos parturire aduersus libellos quos de grammatica ediderit', Aelium Stilonem, qui ipse '*Stoicus esse uoluit*', aut non ita saepe adhibuisse aut plerumque ab eo uidetur dissensisse. — Quintilianus num ad ipsa Aelii opera escenderit, Claussenus[3]) in dubio uidetur relinquere, neque enim quidquam de hac quaestione dicit; mihi tamen ex omnibus, quae et Christius[4]) et Birtius[5]) doctissime de Remmio Palaemone Quintiliani in grammaticis magistro disputauerunt, uerisimillimum uidetur fieri Quintilianum quicquid Stilonis profert, Remmio debere. Quid? Claussenus nonne ne Varronem quidem ipsum a Quintiliano inspectum esse negari posse dicit? Quod etsi ego defendendum non suscipiam, tamen hoc certe, quod Wilmannsius in libelli quem scripsit de Varronis libris grammaticis p. 46 dicit, Quintilianum Remmio Palaemoni impugnationes illas debere quibus (I 6, 37 sq.) Varronem insectatur, multo magis etiam de Stilonis impugnationibus dici potest. Quintilianus igitur Stilonis libris non uidetur usus esse. — Suetonius, si uera est lectio anecdoti Parisini a Reifferscheidio (Suet. p. 138) paullulum mutata, Aelii recensionem satirarum Lucilianarum in manibus habuit, sicut Fronto Metelli Numidici libros ab eo descriptos. — Gellius (de quo conferatur Kretzschmer de A. Gellii fontibus Part. I. Posnaniae 1860. p. 41) uno, ut iam uidimus, loco Stilonem ipse inspexit, uno (V 21, 6) e Sinnii Capitonis epistula aliqua eius mentionem hausit[6]), uno, ut mihi quidem uidetur, Verrium Flaccum[7]) secutus est, reliquis Varronem. — Arnobius quam (adu. nationes

1) Cur omnino Stilonem hic intellegendum putem exposui in adn. ad test. 20. 2) De Plinio horum locorum auctore cf. Schottmüller, de C. Plinii Secundi libris grammaticis p. 39. 3) Quaestiones Quintilianeae Lps. 1873. p. 392. Etiam in Iahnii Annal. suppl. VI. 4) Philol. 18 p. 126. 5) Mus. Rhen. 34, p. 24 sq. 6) Cf. M. Hertz. de Sinnio Capitone p. 17. Mercklin, Iahn. annal. suppl. III p. 644 et 666. 7) Cf. adn. ad fragm. 40.

III 38) Aelii facit mentionem sine dubio Varroni debet, quem saepissime sequitur. — Nonius uno illo loco, ubi Aelium commemorat, a Varrone se pendere ipse testis est [1]); quae Aeliana habet omisso Aelii nomine (p. 18 M. cf. adn. ad fr. 24), ea uel ab Pomponianarum fabularum interprete uel e commentario quodam Plautino eum sumpsisse Schmidtius [2]) contendit. — Quae Charisius affert Aeliana ex libro eius sumpta esse iam negauimus: adiciamus tamen ea quae I p. 129/30 habet, Pliniana esse recte a Schottmuellero [3]) demonstratum esse; Plinius ipse, ut docet Charisii locus p. 125, 4 Iulium Modestum secutus erat. — Vnum quod apud Seruium Danielis exstat Aelii fragmentum (ad Georg. I 75) sine dubio sumptum est ex Varronis libro quodam de lingua latina nobis amisso. — Quae Isidorus uerba affert Aeliana ad Varronem redire Goetzius (philol. Wochenschr. 1886, nr. 25, p. 742) uerisimile fecit. — Iam omnia complectamur: diutissime uidentur durauisse Aelii commentarius de proloquiis et recensiones, quas adornauit: hos enim libros Gellius et Fronto inspexerunt. Interpretationem carminum Saliarium post Verrium Flaccum nemo uidetur adhibuisse, libros etymologicos postremus Plinius inspexit. Et indices Plauti iam post Varronem uidentur euanuisse. Maior igitur eius librorum pars post Augusti Caesaris tempora non diu in usu fuisse uidetur, id quod sine dubio accidit propter libros Varronis [4]) et Verrii, qui easdem res, quas Stilo, sed copiosius et, ni fallor, etiam elegantius tractabant.

Caput IV.

De L. Aelii Stilonis fragmentis.

Fragmentorum priusquam demus conspectum, pauca praemittere oportet de ratione, qua singuli scriptores in nominando auctore nostro usi sunt. Nam cum plures eodem fere tempore exstiterint Aelii uel plures ab iisdem scriptoribus adhibiti sint, si, ut saepe fit, '*Aelius*' solum legimus, utrum noster, an Aelius Gallus, an S. Aelius, an Aelius Tubero intellegendus sit, saepe nescimus. — Atque ubi apud Varronem Aelius commemoratur, etsi in interpolatis libris plerumque cognomen Gallus adscriptum est, sine dubio semper magister eius Stilo intellegendus est [5]), id quod etiam fragmentis confirmatur. Aelius enim

1) Frg. 29. 2) De Nonii Marcelli auctoribus gramm. Lps. 1868. p. 141. adnn. 47 et 48. 3) De C. Plinii Secundi libris gramm. Lps. 1858. p. 39. 4) Cf. Nettleship, Iourn. of philology XV p. 190.
5) Cf. L. Spengelii praef. ad Varr. de ling. Lat. librorum edition. p. LI.

Gallus, quod quidem sciamus[1]), nihil scripsit praeter libros '*de significatione uerborum, quae ad ius ciuile pertinent*', ex quibus nullum eorum quae sub Aelii nomine apud Varronem inuenimus fragmentorum potest sumptum esse. Dubitatio autem oritur apud Festum, ubi sane nonnulla exstant fragmenta, quae et ex Stilonis scriptis et ex Galli libris petita esse possunt. Tamen de omnibus illis et Festi et aliorum locis rectissime mihi uidetur iudicasse Schoellius[2]), qui grauissimis usus argumentis dicit, ubicunque apud scriptores simplex Aelii mentio exstet, unum L. Aelium Stilonem significari. Restant tamen singuli loci, qui ne Schoellio quidem prorsus dubitatione carere uidentur; de quibus partim in fragmentorum dubiorum partim in testimoniorum adnotatione agemus. Quod uero Merkelius[3]) contendit, ubicunque apud Festum et Paulum Aelius simpliciter exstet, esse eum locum desumptum non ex libro aliquo Aelii Stilonis, sed ex scriptis discipulorum eius, Varronis potissimum et Cincii, quin fortasse Varronis solius, ita accipio, ut Cincii, qui fortasse Aelii discipulus erat, scriptis Verrium illa debere posse arbitrer, de Varrone uero, cuius libros de ling. Lat. Verrium repudiasse uiri docti contendunt — ex illis enim plurima Aelii fragmenta essent petita — ualde dubitem. — Itaque nos Schoellium secuti ubicunque[4]) Aelii nomen certo legebatur locum illum inter certa Aelii Stilonis fragmenta rettulimus, quibus etiam eos addidimus locos, ubi etsi in codicibus 'laelius' exstat, tamen omnium uirorum doctorum consensu L. Aelius scribitur.

Restat, ut paucis disputemus de iis quattuor fragmentis, quae Varronem non ex libris magistri, sed e disciplina hausisse homines docti[5]) Heimbachium[6]) secuti suspicati sunt eam ob causam, quod illis locis Varro non dicit: '*scribit Aelius, ait A., putat A.*', sed '*dicebat A.*' uel '*putabat A.*'. Et sunt illi loci de ling. Lat. V 66. 101. VI 7; De r. r. III 12, 6[7]) = fr. 15. 17. 18. 44. Quae sententia etsi minime absurda est, tamen procul abesse ut certa sit neminem adhuc monuisse satis miror. Neque enim solum in Aelii nomine afferendo cuius, ut magistri sui, dicta sane afferre potuit, Varro illa loquendi forma utitur, sed etiam in citandis iis hominibus, qui iam antequam Varro nasceretur mortui erant, uel certe adeo erant aetate superiores, ut cum iis eum collocutum esse minime sit uerisimile. Sic de l. L. VII 65 legimus: '*Iuuentius comicus*

1) Teuffel, R. L.-G.[4] p. 397. 2) XII tabb. p. 27—30. 3) Proll. in Ou. Fast. p. CV. 4) Vno loco excepto. Cf. frg. spuria 1. 5) Heusd. p. 54. Schoell. p. 26 adn. 2. Teuffel, R. L.-G.[4] p. 231. 6) De C. Aelio Gallo ICto. Lps. 1823. p. 42. 7) Schneideri editionem adhibui.

dicebat a uermiculo piloso', Iuuentius autem sexto urbis saeculo floruit. Idem ualet de Valerio, qui post Iuuentium ita commemoratur, ut '*dicebat*' supplendum sit. Itaque nisi ex toto loco audita referri apparet, ut de r. r. II 4, 11, III 2, 17. 6, 6, e solo imperfecti usu tale quid mihi non uidetur posse colligi et fragmenta illa Stilonis ex aliquo eius libro mihi uidentur sumpta esse. Accedit etiam, quod Varro Aelii de leporis nomine sententiam uno loco (de r. r. III 12) uerbis '*Aelius putabat*' inducit, in libro autem rerum diuinarum XIV (ap. Gell. I 18, 2) eandem eius explicationem adiectis uerbis '*ut ait*' profert, ita ut si illorum sententia uera esset, uno loco scripta, altero audita referre censendus esset.

Iam sequuntur ipsa fragmenta, quae sic disposuimus, ut primo loco ea poneremus, in quibus uerba Aelii ipsa seruata sunt: deinde ea, in quibus non uerba Aelii ipsa, sed explicatio eius uel sententia refertur: quibus succedunt fragmenta incerta et spuria. Fragmenta excipiunt ueterum de Aelio testimonia, quae nondum in unum inueni congesta quibusque nonnulla adiecimus, quae ab Heusdio uel Eggero minus recte ipsis fragmentis inserta erant. Denique et fragmenta et testimonia adnotationibus adornauimus, quibus quae explicanda restabant, exposuimus.

I.

Fragmenta, in quibus ipsa Aelii uerba exstant.

(Ex libris etymologicis.)

1. *Alae ex lupino, s[urculi sine fo]liis.*[1])
2. *Latro est latero, a latere, insidiator uiae.*
3. *Petaurista proprie Graece ideo quod is*[2]) πρὸς ἀέρα πέταται.

1. H. p. 74. E. p. 12.[3]) Seru. Dan. ad Verg. Georg. I 75: *Nonnulli proprie calamos lupinorum alas dici putant, ut Aelius: alae — liis. Cato in Originibus: alae ex lup* leg* . . . . . Varro de lingua Latina alam culmum fabae dic**.

2. H. omisit hoc fragmentum, apud Egg. p. 12 exstat. Isid. origg. X 160: *Latro insessor est uiarum a latendo dictus. Aelius autem, latro est, inquit, latero — uiae.*

3. H. p. 70. E. p. 8. Fest. p. 206 M. *Petauristas Lucilius a petauro existimare uidetur, cum ait: 'sicut mechanici cum alto exsiluere petauro.' At Aelius Stilo [quod]*[4]) *in aere uolent, cum ait: petaurista*, e. q. s.

1) Danielis recepi supplementa. 2) *is* M. *his* cod. 3) H. et E. sunt Heusdii et Eggeri fragmentorum collectiones. 4) '*quod*' in cod. non exstare testis est Thewrewkius, cuius editionem typis exprimi coeptam ut inspicerem Goetzii praeceptoris liberalitate mihi contigit.

II.

Fragmenta, in quibus Aelii explicatio refertur.

A.

Ex interpretatione carminum Saliarium.

4. *Manuos in carminibus saliaribus*[1]) *Aelius Stilo significare ait bonos unde*[2]) *inferi di Manes pro boni dicantur*[3]) *a suppliciter eos uenerantibus propter metum mortis, ut immanes quoque pro ualde [non bonis]*[4]) *dicuntur.*

5. *Molucrum .... idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait quod sub mola supponatur.*

6. *Pescia in saliari carmine Aelius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci pelles uocent pesce, neutro genere pluraliter.*

7. *Manias Aelius Stilo dici ait ficta quaedam*[5]) *ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur paruulis pueris, esse laruas.*

8. *Monstrum, ut Aelius Stilo interpretatur, a monendo dictum est, uelut monestrum.*

9. *Obstitum Cloatius et Aelius Stilo esse aiunt uiolatum attactumque de caelo.*

10. *Refriua faba . . . Aelius dubitat an ea sit, quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur.*

4. H. p. 62. E. p. 6. Fest. p. 146 M.: *Manuos — dicatur.*
5. H. p. 62. E. p. 6. Fest. p. 141 M.: *Idem — supponatur.*
6. H. p. 63. E. p. 6. Fest. p. 210 M.: *Pescia — pluraliter.*
7. H. p. 66. E. p. 9. Fest. p. 129 M.: *Manias — larvas, id est manes deos deasque qui aut ab inferis ad superos emanant, aut Mania est eorum auia materna. Sunt enim utriusque opinionis auctores.*
8. H. p. 67. E. p. 9. Fest. p. 138 M.: *Monstrum — monestrum. Item Sinnius Capito, quod monstret futurum et moneat uoluntatem deorum.*
9. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 193 M.: *Obstitum — caelo. Cincius quom deo deaeque obstiterit, id est qui uiderit quod uideri nefas esset.*
10. H. p. 78. E. p. 10. Fest. p. 277 M.: *Refriua faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quae ad sacrificium referri solet* e. q. s.
Aelius — refrigatur. Sed opinionem Cincii adiuuat e. q. s.

1) *saliaribus* M. *saecularibus* cod. 2) *unde* M. *et* cod. 3) *dicantur* M. *dicuntur* cod. 4) Aldus et Vrsinus ex Paulo suppleuerunt. 5) *dici ait* M. *dicit* cod. *quaedam* idem *quae* cod.

11. *Salias uirgines . . . Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.*

12. *Subuculam Aelius Stilo et Cloatius iisdem fere uerbis demonstrant uocari quod diis detur ex alica et oleo et melle.*

B.

Ex libris etymologicis.

13. *Caelum dictum scribit Aelius, quod est caelatum aut contrario nomine celatum quod apertum est.*

14. *Daliuum . . . ait esse . . . Aelius stultum.*

15. *Aelius Dium Fidium*[1] *dicebat Diouis filium, ut Graeci Διόσκορον Castorem, et putabat*[2] *hunc esse Sancum*[3] *ab Sabina lingua et Herculem a Graeca.*

16. *Ferocior tanquam peior melior ait Stilo in eis accusatiuo posse proferri, ferocioreis.*

Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis, saltanteis, quoniam quaecunque secum uerbi iura traxissent, ea accusatiuis pluralibus, adiuuante dumtaxat genetiuo plurali, in eis sonarent.[4]

17. *Intempestam Aelius dicebat cum tempus agendi est nullum.*

18. *L. Aelius putabat ab eo dictum leporem, quod leuipes esset.*

11. H. p. 72. E. p. 6. Fest. p. 329 M.: *Salias uirgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur, cum apicibus paludatas, quas Aelius Stilo — Saliorum.*

12. H. p. 72. E. p. 10. Fest. p. 309 M.: *Subuculam Aelius Stilo — melle. Nam de tunicae genere notum est omnibus.*

13. H. p. 64. E. p. 10. Varro de l. L. V 18: *Caelum — est, male*[5]*, quod posteriora multo potius a caelo quam caelum a caelando* ⌊*aut caelando* add. L. Sp.]. *Sed non minus illud alterum de celando ab eo potuit dici, quod interdiu celatur, quam quod noctu non celatur.*

14. H. p. 75. E. p. 8. Paulus p. 68 M.: *Daliuum supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum.*

15. H. p. 65. E. p. 10. Varro de l. L. V 66: *Aelius — Graeca.*

16. H. p. 65. E. p. 11. Charis. Inst. gr. p. 129/30 K.: *Ferocior — sonarent.*

17. H. p. 65. E. p. 11. Varro de l. L. VI 7: *In Bruto Cassii quod dicit Lucretia: nocte intempesta ad nostram deuenit domum. Intempestam Aelius dicebat — nullum, quod alii concubium appellarunt.*

18. H. p. 66. E. p. 8 adn. 1. Varro de r. r. III 12, 6: *L. Aelius — esset. Ego arbitror a Graeco uocabulo antiquo, quod eum Aeoles Boeotii λέποριν appellabant.* Cf. Gell. I 18, 1—2.

1) *fidum* Flor. et Bas. 2) *putabat* Puccius *putabant* libri. 3) *Sancum* Scal. *sanctum* libri. 4) *adiuuante — sonarent* K. *adiuuante re dumtaxat genē plū in eis sonare* cod. 5) *non male* cod. *non* incl. A. Sp.

19. *L. Aelius*[1]) *lessum quasi lugubrem eiulationem* (sc. *suspicatur*).

20. *Locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse*[2]) *dando.*

21. *Militem Aelius a mollitia κατὰ ἀντίφρασιν dictum putat, eo, quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat.*

22. *Minam Aelius uocitatum ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam.*

23. *Naucum ait . . . Aelius Stilo omnium rerum putamen.*

24. *Nebulo dictus est, ut ait Aelius Stilo, qui non pluris est quam nebula aut qui*[3]) *non facile perspici possit, qualis sit, nequam, nugator.*

25. *Nouensiles . . . Granius Musas putat, consensum accommodans Aelio.*

26. *Nuptias dictas esse ait . . . . Aelius . . . ., quia flammeo caput nubentis obuoluatur, quod antiqui obnubere uocarint: ob quam causam legem quoque peruetustam*[4]) *iubere caput eius obnubere, qui parentem necauisset.*

19. H. p. 63. E. p. 6. Cic. de leg. II 23: *Tollit etiam lamentationem lex XII tabularum: Mulieres genas ne radunto neue lessum funeris ergo habento. Hoc ueteres interpretes S. Aelius, L. Acilius non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari uestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius — eiulationem, ut uox ipsa significat. Quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solonis id ipsum uetat.*

20. H. p. 74. E. p. 26 hoc frg. Aelio Gallo uindicat. Cic. Top. II 10: *Cum lex assiduo uindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti; locuples enim est assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.*

21. H. p. 76. E. p. 9. Paul. p. 122 M.: *Militem Aelius — gerat; sic ludum dicimus in quo minime luditur.*

22. H. p. 76. E. p. 9. Paul. p. 122 M.: *Minam Aelius — factam.*

23. H. p. 68. E. p. 9. Fest. p. 166 M.: *Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis. Cincius, quod in oleae nucisque intus sit. Aelius — putamen. Glossematorum autem scriptores* etc. (Sequuntur exempla ex Plauto Naeuio Ennio sumpta.)

24. H. p. 68. E. p. 9. Fest. p. 165 M.: *Nebulo — nugator.*

25. H. p. 77. E. p. 12. Arnob. adu. nat. III 38: *Nouensiles Piso deos esse credit nouem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius — Aelio.*

26. H. p. 77. E. p. 10 et 37. Fest. p. 170 M.: *Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod νυμφεῖα* etc. *Cornificius, quod* etc. *Curiatius, quod* etc. *Aelius et Cincius, quia — necauisset, quod est obuoluere.*

1) *L. Aelius* Turnebus. *Laelius* codices. 2) *Asse* H. E. *aere* Cicero. 3) *qui* M. *quam* cod. 4) Sic scripsi secutus Eggerum (p. 37), cuius coniecturam Schoellius XII tabb. p. 55 probat. Bergk., Ephem. litt. Hal. 1842 nr. 105 p. 232 proposuit '*Praenestinam*', quod a Schoellio l. l. merito mihi uidetur reiectum esse. *parenstam* cod.

27. *Nuscitiosum*[1]) . . . *ait appellari solitum . . . Aelius Stilo qui plus uideret uesperi quam meridie nec cognosceret, nisi quod usque ad oculos admouisset.*

28. *Ordinarium hominem . . . ait dici solitum . . . Aelius Stilo qui minime ordine uiueret.*

29. *Hanc deam Aelius putat*[2]) *esse Cererem; sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere quod est aperire [ideoque a pandendo dictam Pandam].*[3])

30. *Aelius Pituitam* (sc. *appellatam ait*) *quia petat uitam.*

31. *Portisculus est, ut scribit Aelius Stilo, qui in portu modum dat classi.*

32. *Aelius procestria aedificia dixit esse extra portam.*

33. *In Nelei carmine 'eaque prisco saucia puer filia sumam,' ubi tamen Varro cum a puera putat dictum, sed Aelius Stilo, magister eius, et Asinius contra.*

34. *Puticuli . . . ut Aelius scribit . . . . quod putescebant ibi cadauera proiecta.*

27. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 173 M.: *Nuscitiosum Ateius philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum uitium parum uideret. At Opilius Aurelius nuscitiones esse caecitudines nocturnas. Aelius Stilo — admouisset.*

28. H. p. 69. E. p. 9. Fest. p. 182 M.: *Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram et improbum* etc. *At Aelius Stilo — uiueret . . . in ea oratione, quam scribit de suis uirtutibus contra Thermum: 'quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?'*

29. H. p. 69. E. p. 12 in hoc fragmento mirifice lapsus est uerba Aelii a Varrone citata cum Nonii uerbis quae antecedunt confundens. Varro apud Non. s. u. Pandere p. 44 M.: *De uita populi Romani lib. I: 'hanc deam — pandere, quod est aperire.'*

30. H. p. 70. E. p. 10. Quintil. Inst. orat. I 6, 37: *Aelius — uitam.*

31. H. p. 70. E. p. 10. Fest. p. 234 M.: *Portisculus est — classi. Id autem est malleus. Cuius meminit Cato in suasione de rege Attalo et uectigalibus Asiae: C. Licinio* etc.

32. H. 78. E. p. 26 hoc frgm. Aelio Gallo tribuit. Paul. p. 225 M.: *Procestria dicuntur quo proceditur in muro. Aelius — portam. Artorius procastria, quae sunt ante castra.*

33. H. p. 71. E. p. 11. Charis. Inst. gr. I p. 84 K.: *In Nelei carmine — contra.*

34. H. p. 71. E. p. 10. Varro de l. L. V 25: *Extra oppida a puteis puticuli, quod ibi in puteis obruebantur homines, nisi potius, ut Aelius scribit Puticulae*[4]) *quod — proiecta, qui locus publicus ultra Exqui-*

1) *Nuscitiosum* scripsi, *nusciciosum* cod. cf. Bugge, Iahn. Annal. 105 p. 103. 2) *deam Aelius* Carrio, *deam melius* codices. *putate* Paris. 7667. 3) Kettneri supplementa adscripsi, de quibus cf. adnotationem. 4) *Puticulae* L. Spengelius recte delendum putat, neque enim usquam praeter hunc locum haec feminina forma reperitur. Masculinae uero, quam modo posuerat, repetendae nulla erat Varroni causa.

35. *Sobrium uicum [dictum putant . . . . .]*[1] *et Aelius quod [in eo nullus tabernae]*[1] *locus neque caup[onae fuerit].*[1]

36. *Sonticum morbum in XII significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa.*

37. *Tamne eo usque, ut Aelius Stilo et Opilius Aurelius interpretantur.*

38. *Terra dicta ab eo, ut Aelius scribit, quod teritur.*

39. *[Tongere Aelius Sti]lo ait noscere esse, [quod Praenestini tongi]tionem dicant pro no[tionem].*[2]

40. *Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera uocabulo boues appellatos scribunt, quasi quosdam terriones.*

41. *. . . cum Aelius Stilo Iugurthino*[3] *bello unionum nomen inpositum maxime grandibus margaritis prodat.*

42. *Aelius hoc loco uapula positum esse ait pro dole.*

43. *Victimam Aelius Stilo ait esse uitulum ob eius uigorem.*

44. *Volpes, ut Aelius dicebat, quod uolat pedibus.*

lias. Itaque eum Afranius Putilucos in togata appellat. Fest p. 217 M. p. 270 Th.: *[Puticulos dicunt esse ap]pellatos, quod uetustissimum genus sepulturae in pute]is fuerit [eumque locum fuisse publicum . . . . .] extra p[ortam Exquilinam . . . . . . Sed] inde p[otius appellatos esse existimat puticu]los Aeliu[s Stilo, quod cum in eum locum patres] familias [. . . pecudes morticinas et] uilia proicer[ent mancipia, ibi cadauera] ea putesce[rent].*

35. H. p. 79. E. p. 10. Fest. p. 297 M.: *Sobrium — [fuerit]. Alii quod in eo M[ercurio lacte non] uino solitum [sit supplicari].*

36. H. p. 63. E. p. 7. Fest. p. 290 M.: *Sonticum — causa, quem nonnulli putant esse qui noceat, quod sontes significat nocentes. Naeuius ait: sonticam esse oportet causam, quam ob rem perdas mulierem.*

37. H. p. 72. E. p. 7. Fest. p. 359 M.: *Tamne — interpretantur. Itaque Afranius: tamne arcula tua plena est aranearum.*

38. H. p. 72. E. p. 10. Varro de l. L. V 21: *Terra — teritur. Itaque tera in augurum libris scripta cum R uno.*

39. H. p. 72. E. p. 13. Fest. p. 356 M.: *[Tongere] — no[tionem significat et la]tius dominari Ennius: [alii rhetorica] tongent. Et uincere [etiam quandoque] uidetur significare.*

40. H. p. 73. E. p. 8. Gell. N. A. II 21, 8: *Sed ego cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera uocabulo — 'terriones', hoc est arandae colendaeque terrae idoneos.*

41. H. p. 74. E. p. 4. Plin. H. N. IX. 123 . . . *cum Aelius — prodat.*

42. H. p. 73. E. p. 5. Fest. p. 372 M.: *Vapula Papiria in prouerbio fuit antiquis . . . . . Plautus in Feneratrice: 'heus tu — uapula Papiria.' In barbaria est in Italia. Aelius — dole. Varro pro peri.*

43. H. p. 73. E. p. 7. Fest. p. 371 M.: *Victimam — uigorem. Alii autem, quae uincta ducatur ad altare, aut quae ob*[4] *hostes uictos immoletur.*

44. H. p. 74. E. p. 10. Varro de l. L. V 101: *Volpes — pedibus.*

1) Scaligeri sunt supplementa. 2) Vrsini adscripsi supplementa a Muellero paululum mutata. 3) *Iugurthinum bellum* codices. 4) *ob* M. *ad* cod.

III.

Fragmenta dubiae auctoritatis.

1. *Classis a calando.*

2. *Dium, quod sub caelo est extra tectum, ab Ioue dicebatur et Dialis flamen et Dius heroum aliquis ab Ioue genus ducens.*

3. *Sunt qui honori nomen* (sc. *iuglandis*) *interpretentur et Iouis glandem esse dicant.*

4. ...... *lucus quia umbra opacus parum luceat, et ludus quia sit longissime a lusu et Ditis quia minime diues.*

5. *Cloatius etiam [et Aelius Stilo]*[1]) *in libris sacrorum molucrum esse aiunt lignum*[2]) *quoddam quadratum, ubi immolatur.*

6. *[Noualem a]grum Aelius [Stilo et .... Graecum uocabulum] aiunt esse [cum Graeci eum νειὸν dixerint. In qua re Homero quoque [teste utuntur, qui dixit: ν]ειοῖο βαθείης πε[λσον† ἱκέσθαι].*

7. *Pennatas impennatasque agnas in Saliari carmine spicas significat cum aristis, et alias sine aristis: [sed Aelius oues ueteres et]*[3]) *agnas nouas uoluit intellegi.*

8. *Simultas, id est odium, dicta ex contrario, quia minime sint simul.*

9. *Poetae appellarunt summa terrae, quae sola teri possunt, sola terrae.*

10. *[Transdato nota]uit Aelius in XII signi[ficare tradito].*

1. Quintil. Inst. or. I 6, 33: *Iam sit et classis a 'calando' et 'lepus leuipes' et 'uulpes uolipes'.*
2. Paulus p. 74 M.: *Dium — ducens.*
3. Plinius H. N. XV 91: *Sunt — dicant.*
4. Quintil. Inst. or. I 6, 34: *Etiamne a contrariis aliqua sinemus trahi, ut lucus* etc.
5. H. p. 76. E. p. 6. Fest. p. 141 M.: *Cloatius etiam in libris — immolatur. Idem Aelius* etc. Cf. fr. certa 5.
6. Fest. p. 174 M.: *[Noualem a]grum — [ἱκέσθαι. . . . Sed C]incius eum esse, ubi [terra sine cultura ad nouam] sementem sit relic[ta].*
7. Paul. p. 211 M.: *Pennatas — aristis: agnas — intellegi.*
8. Paul. p. 337 M.: *Simultas — simul; potest et a simulatione dicta existimari, quia simulata loquuntur ad inuicem.*
9. Varro de ling. Lat. V 22: *Igitur tera terra et ab eo poetae appellarunt summa terrae quae solae teri possunt, sola terrae.*
10. Fest. p. 352ª, 5 M., quem locum sic restituit Schoell. XII tab., p. 29. 163.

1) Haec ego addidi, postquam iam Vrsinus '*et Aelius*' addidit. 2) *lignum* pro *ligneum* Aldus restituit. 3) Haec Muellerus addenda putat.

11. *Tumulus est [cumulus are]nae editus secundum mare fluctibus in [altum ele]uatus. Vnde similiter et manufac[tus et na]turalis proprie dici potest.*

12. *Vacerram [Aelius] et alii complures uocari aiunt stipitem, [ad quem equos] solent religare.*

13. *Endoplorato implorato.*

14. *Implorare inclamare, ad auxilium inuocare.*

15. *Ob uos sacro in quibusdam precationibus est pro uos obsecro, ut sub uos placo, pro supplico.*

16. *Plorare flere*[1]) *nunc significat, et cum praepositione implorare, id est inuocare: sed*[2]) *apud antiquos plane inclamare.*

17. *Sub uos placo, in precibus fere cum dicitur, significat id, quod supplico, ut in legibus: transque dato, et endoque plorato.*

18. *Meltom meliorem dicebant.*

19. *Pro*[3]) *nefrendibus [alii nefrundines intellegunt, quos] usus recens [dicit uel renes*[4]) *uel testicul]os, quos Lanu[uini appellant nebrundines,] Graeci νεφρο[ύς, Praenestini nefrones].*

20. *Sanctum [ait dici] ... Aelius [... quod utrumque esse] uideatur, [et sacrum et religiosum].*

21. *Συνημμένον ἀξίωμα .... alii nostrorum adiunctum, alii conexum dixerunt .... συμπεπλεγμένον nos uel coniunctum uel copulatum dicimus.*

11. Fest. p. 355 M.: *[Tumulum] Aelius sic definit: Tumulus — potest.*

12. E. p. 11. Fest. p. 375 M.: *Vacerram [Aelius] — religare. Ateius uero Philologus hoc nomine significari maledictum magnae acerbitatis.*

13. Paul. p. 77 M: *Endoplorato implorato, quod est cum questione inclamare.*

14. Paul. p. 109 M.: *Implorare — inuocare.*

15. Fest. p. 190 M.: *Ob uos sacro — supplico.*

16. Fest. p. 230 M.: *Plorare — inclamare.* (Sequuntur exempla.)

17. Fest. p. 309 M.: *Sub uos placo — plorato.*

18. Paul. p. 122 M.: *Meltom meliorem dicebant.*

19. Fest. p. 162 M.: *[Nefrendes dictos asserit Q. Muci]us Scaeuola [arietes, quod dentibus frendere non pos]sint. Ateius [Capito infantes esse nondum fre]ndentes, id est [frangentes. Liuius ...]ri* (sequitur exemplum). *Pro nefrendibus [alii — nefrones.*

20. H. p. 79. Fest. p. 317 M.: *Sanctum [ait dici Opilius Aure]lius, quod [nec sacrum est nec religiosum]. At Aelius [Gallus, quod utrumque esse] uideatur, [et sacrum et religiosum].*

21. Gell. N. A. XVI 8, 9: *Sed quod Graeci 'συνημμένον ἀξίωμα' dicunt, id alii nostrorum 'adiunctum', alii 'conexum' dixerunt.... Item quod illi 'συμπεπλεγμένον', nos uel 'coniunctum' uel 'copulatum' dicimus.*

1) *flere* M. *flere inclamare* cod. 2) *sed* M. *et* cod. 3) *Prae* cod. 4) *Rienes* scribendum putat Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 91 adn. 1.

IV.

Fragmenta spuria.

1. *Aelius*[1]*): impubes libripens esse non potest neque antestari, προδιαμαρτυρηθῆναι.*

2. *In foro Lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is, Cornelius*[2]*) Stilo secutus ...... Cornelius*[2]*) et Lutatius scribunt eum locum esse fulguritum et ex S. C. septum esse.*

1. Priscian. Inst. gr. VIII 16: *Aelius — προδιαμαρτυρηθῆναι.*
2. H. p. 75. E. p. 3. Varro de ling. Lat. V 148: *In foro — secutus.* 150: *Cornelius — esse.*

Caput V.

Veterum scriptorum de L. Aelio Stilone testimonia.

I. Nomen.

1. Varro de l. Lat. VIII 81: *Quod si Marcus Perpenna uirile est nomen et analogia sequenda, Lucius Aelia et Quintus Mucia uirilia nomina esse debebunt.*

2. Suet. de gramm. 2: *L. Aelius Lanuuinus, ... cognomine duplici fuit, nam et Praeconinus ... uocabatur et Stilo.*

3. Plin. H. N. XXXIII 29: ..... *sicut patrem L. Aelii Stilonis, Praeconini ob id cognominati ....*

4. Lucil. fragm. III M.: *Has, Aeli, scriptas res ad te misimu', Luci.*

II. Vita.

5. Suet. l. c.: ... *L. Aelius Lanuuinus generque Aelii Ser. Clodius uterque eques Romanus, multique ac uarii et in doctrina et in re publica usus ... Aelius ... et Praeconinus quod pater eius praeconium fecerat uocabatur, et Stilo quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat; tantum optimatium fautor, ut Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Seruius, cum librum soceri nondum editum fraude intercepisset et ob hoc repudiatus .... secessisset ab urbe, in podagrae morbum incidit.*

6. Cicero Brut. 205: *Fuit is* (sc. *L. Aelius*) *omnino uir egregius et eques Romanus cum primis honestus.*

7. Plin. H. N. XXXVII 9: ... *uolgato Stilonis Praeconini sale...*

8. Cicero orator 69, 230: *Et hic quidem* (sc. *Cael. Antip.*), ... *hanc a L. Aelio*[3]*), ad quem scripsit, cui se purgat, ueniam petit.*

1) '*Laelius*' ug., '*celius*' cod. Halb., '*melius*' optimi codd., *Aelius* H.
2) *C. Aelius* ug. ex B. Spengelii. 3) Sic Popma, codd. *Laelio:* cf. p. 8.

III. Doctrina et scripta.

9. Varro de l. Lat. VII 2: *Aelii hominis in primo in litteris latinis exercitati interpretationem carminum Saliorum uidebis et exili littera expeditam et praeterita obscura multa.*

10. Cicero Brut. 46, 169: *Cui orationi Caepionis ore respondit Aelius; qui scriptitauit orationes multis, orator ipse nunquam fuit.* Ibid. 56, 205: *Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.*

11. Cicero Brut. 56, 205—207: *Aelius ... fuit ... eruditissimus et Graecis litteris et Latinis: antiquitatisque nostrae et in inuentis rebus et in actis scriptorumque ueterum litterate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese ... pluribus et illustrioribus litteris explicauit. Sed idem Aelius Stoicus esse uoluit, orator autem nec studuit umquam nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello F., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo, quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror ... Aelianas leues oratiunculas uoluisse existimari suas.*

12. Varro ap. Gellium I 18, 2: *L. Aelius noster, litteris ornatissimus memoria nostra, errauit aliquotiens.*

13. Gell. X 21, 2: ... *qui doctissimus eorum temporum fuerat, L. Aelius Stilo ...*

14. Gell. III 3, 12: *Homo eruditissimus L. Aelius quinque et uiginti eius* (sc. *Plauti*) *esse solas existimauit.*

15. Gell. XVI 8, 2: *Commentarium de proloquiis L. Aelii, docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quaesiuimus eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus. Sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est, fecisseque uidetur eum librum Aelius sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia.*

16. Gell. III 3, 1: *Bene litteratos homines dicere audiui, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, crediturum.*

17. Cicero Acad. post. I 2, 8: *Quae autem nemo adhuc docuerat nec erat unde studiosi scire possent, ea ... feci ut essent nota nostris; a Graecis enim peti non poterant ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem.*

18. Cicero de orat. I 43, 193: *Siue quem haec Aeliana studia delectant, plurima est et in omni iure ciuili et in pontificum libris*

et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et uerborum uetustas prisca cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem uitamque declarant.

19. Quintilian. Inst. or. X 1, 99: *Licet Varro Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si latine loqui uellent . . .*

20. Plinius H. N. XIV 93: *Scaeuolam quoque et L. Aelium*[1]) *et Ateium Capitonem in eadem sententia fuisse uideo, quoniam in Pseudolo sit:*

> *Quod si opus est, ut dulce promat indidem ecquid habet: rogas?*
> *Murrinam, passum, defrutum, mella . . . .,*

quibus apparet non inter uina modo murrinam, sed inter dulcia quoque nominatum. Praeterea Aelius auctor Plinii commemoratur in indicibus librorum IX, XIV, XV.

21. Varro de l. Lat. VI 59: *Nouissimum . . . mea memoria ut Aelius sic senes aliquot nimium nouum uerbum quod esset uitabant.* Cf. Gell. X 21.

22. Gell. V 21, 6: *Velim doceas nos, cur 'pluria' siue 'compluria', nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius*[2]), *P. Nigidius, M. Varro, quos subscriptores approbatoresque huius uerbi habemus.*

23. Gell. VII 15, 5: *Noster autem, qua est rerum omnium uerecunda mediocritate, ne si Aelii quidem, Cincii et Santrae dicendum ita censuissent, obsecuturum se fuisse ait contra perpetuam Latinae linguae consuetudinem.*

24. Gell. XII 4, 5: *L. Aelium Stilonem dicere solitum ferunt, Q. Ennium de semet ipso haec scripsisse picturamque istam morum et ingenii ipsius Q. Ennii factam esse.*

25. Fronto, epist. ad Caesarem et inuicem I, 7 (Naber): *Contigisse quid tale M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico? quid M. Tullio tale usu uenit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt [a] Lampadione, aut Staberio . . . ui aut [Tirone] aut Aelio . . . . . aut Attico, aut Nepote.*

26. Anecdotum Parisinum Suet. p. 138 ed. Reiff.: *His solis* (sc. *signis*) *in adnotationibus Ennii Lucilii*[3]) *et historicorum usi sunt Varro Sinnius Aeliusque*[4]) *et postremo Probus.*

1) Heusdii coniectura a Iano et Detlefseno probata sum usus. 2) *Aelius* Carrio, *lelius* cod. 3) *Lucilii* R., *Lucii* cod. 4) Sic scripsi; cod.: *Varros hennius haelius aequae;* Bergk., Annal. ant. III 15 (1845), p. 114 scribit: *Vargunteius Laelius Archelaus;* Reiff.: *Vargunteius Ennius Aeliusque.*

RELIQUA HUIUS DISSERTATIONIS PARS PROPEDIEM EDETUR.



